

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

9 September 2005

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**
.....

1. On the hymn of Christ and his disciples before his arrest (Thomas More)

“Hec quum dixisset Iesus hymno dicto exierunt in montem Oliueti.” Tot sancta uerba quot habuerat Christus super cenam cum apostolis hymno tamen quum digrederetur absoluit. Heu quam dissimiles Christo sumus qui Christi nomen gerimus et non inania tantum et ociosa (de quibus tamen ipsis reddendam rationem Christus admonuit) set et perniciosam multa confabulamur in mensa et cibo tandem potuque distenti nullis actis gratijs conuiuiorum nostrorum largitori deo immemores et ingrati discedimus.

Burgensis uir eruditus et pius et sacrarum rerum indagator egregius idoneis coniecturis autumat hymnum quem tum Christus dixit cum apostolis fuisse sex illos psalmos quos simul iunctos Hebrei nominant magnum alleluia, nempe psalmum ilium Cxij cum quinque deinceps sequentibus. Nam et illos sex psalmos sub nomine magni alleluia solent Hebrei ex antiquissima consuetudine pro gratijs agendis in pascate et alijs quibusdam precipuis festis orare et eundem hymnum in iisdem festis etiamnum percensent. At nos quum dicere soliti simus in agendis gratijs et benedicenda mensa diuersis temporibus hymnos diuersos eosque tempori quemque suo accommodos nunc uniuersos ferme permisimus exolescere et tribus uerbis qualibuscunque contenti iisdemque perfunctorie mussitatis et oscitanter abimus.

2. Joseph of Exeter to Abbot Wibert

Patri et domino, pre omnibus singulari affectione sibi dilecto W., Dei gratia Florinensi abbati, Joseph, quicquid est et si quid potest, totus suus salutem, quam sibi optat in vero salutari!

Universorum dispensatori Deo grates refero, quod benigna provisione sua hoc inter homines solacium procuravit, ut absentes, quod voce viva non possunt, litterarum commercio suffragante declarent. Hoc sane admodum delectatus beneficio stilo studiosus insisto, ut illuc devocionis mee decurrat epistola, ubi corpore absens, corde semper presens sum. Summo tamen desiderio provocatus ad vestre dilectionis sinceritatem modis omnibus properassem, sed domesticis prepeditus et detentus negociis, quod volo, non valeo, venturus quidem, cum facultas fuerit, immo cum vestre serenitatis imperio complacebit. Accepi apices vestros hilaritate, qua debui et quanta potui. In quibus, quod molestissimum fero, vos vocatis me 'magister et domine' et male dicitis, quod nec vestre sanctitatis servus, ne dicam discipulus, merear appellari. Ceterum, cum unus sit Dominus et Magister omnium, Jesus Christus, vos, qui portastis iugum eius ab adolescentia, me sancta et efficaci orationum vestrarum instantia Domino lucrari studeatis, ut eius conservi simus ei servientes, cui servire regnare est.

3. Peter Riga: Jacob's Ladder

Iacob deuitans Esau signare uidetur

Quod debet iusti uita cauere malos.

Supponens capiti lapidem, dat lumina sompno,

Scalam cum Domino celicolasque uidet.

Mens caput est, Christus petra, mors sopor; inde notatur

Quod mens fixa Deo dat bene quemque mori.

Scala Iacob tangens culmen celeste Mariam

Designat, cuius celica uita fuit.

Mens humilis, flos uirgineus, deuotio pura,

Vera fides, certa spes, geminatus amor

Et sex uirtutes alie, quas Martha figurat,

Bis seni fiunt quos habet ilia gradus.

Rursus scala Iacob tangens caelestia signat

Ecclesiam sine qua nullus ad astra uolat:

Ilia gradus habuit quasi bis senos quia bis sex

Extant discipuli qui docuere fidem.

Celos non aliter scandes nisi quod docuerunt

Discipuli teneas moribus, ore, fide.

4. Augustine: On the Romans' borrowed laws

Quod, si diis ulla esset cura iustitiae, ab eis Romani accipere debuerint praecepta vivendi potius quam leges ab aliis hominibus mutuari.

Si autem a diis suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis, quas tamen non ut acceperunt tenuerunt, sed meliores et emendatiores facere conati sunt; quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit, quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt.

Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges, quae quidem regendae civitati nequaquam sufficerent, condidisse fertur, qui eis multa etiam sacra constituit; non tamen perhibetur easdem leges a numinibus accepisse. Mala igitur animi, mala vitae, mala morum, quae ita magna sunt, ut his doctissimi eorum viri etiam stantibus urbibus res publicas perire confirmant, dii eorum, ne suis cultoribus acciderent, minime curarunt; immo vero ut auferentur, sicut supra disputatum est, omni modo curarunt.